

LVNÆ DIE 20 M. IVNII A. 2005

A.d. XII Kal. Iulias a. MMV

I 2 6

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>

Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

DE ACADEMIA LATINITATI FOVENDÆ

Academiae sessio vernalis eademque praecipua Romae habitata est die 22 m. Aprilis in aedibus Pontificii Collegii Hispanici Sancti Iosephi, quo nuper translata est Academiae sedes. Sessiones vernaes quam proxime a die natali Urbis, qui est dies 21 m. Aprilis, fieri solent. ¶ Tunc primum Academiae sessionem participavi. Gerardus Freyburger, in cathedra Argentoratensi successor defuncti Roberti Schilling, verba fecit in eius inclytam memoriam. Robertus Schilling ultimus Academiae sodalis fuit, qui primum « Viventis Linguae Latinae causa conventum universum » anno 1956 participavit. ¶ Non inutile mihi videtur in memoriam revocare qualis sit Academiae relatio ad hunc conventum. ¶ Ut ex ipso titulo patet, operam dare ad restituendum linguae Latinae usum erat consilium Iohannis Capelle, conventus auctoris et praesidis, qui rector fuerat Universitatis Nanceiensis et tunc erat Director Generalis Educationis in Africa Occidentali Francogallica. In hunc scopum quattuor maiora proposita erant viris scientia praestantibus tractanda : comprobare et commendare pronuntiatum scientificè restitutum debebat Ericus Burck Germanus, nova vocabula necessaria fingere Guarinus Pacitti Italus, summarium grammaticae classicae conficere ad usum scriptorum non grammaticorum Iohannes Bayet Francogallus et modernas institutionis methodos inducere Goodwin Beach Americanus. ¶ Statim post hunc frequentem conventum internationalem creata est consociatio Vita Latina et in lucem edi coeptum est periodicum Latinum c.t. *Vita Latina*. ¶ Secundus « Viventis Linguae Latinae causa conventus universus » Lugduni habitus est anno 1959. Ibi Iohannes Capelle comperit nimis pauca ad proposita spectantia inter tres annos effecta esse ; causa principalis erat quod politici eius consilio non faverant nullumque subsidium praebuerant. Quae cum ita essent, Iohannes Capelle praesidis munus deposuit. Eius successor fuit Petrus Grimal, Sorbonensis professor litterarum Latinarum. ¶ Tertius conventus, cuius titulus factus erat « Conventus Vitae Latinae », Argentorati habitus est anno 1963 ; amplius trecenti participes ei interfuerunt. Inter vota conventus legitur hoc : « In votis quoque est ut, expletis tribus annis, in alia natione praeter Galliam – quod si fieri possit Romae – conventus proximus habeatur. » ¶ In fine conventus participes recepti sunt in aedes Consilii Europaei, ubi eos allocutus est M. Austin Haigh, Director institutionis et rerum culturalium scientificarumque in Consilio Europaeo. Qui vir inter alia Latine dixit haec : « Verumtamen, Europae gentes, dum suam quisque linguam coluerunt et exercuerunt, fossas semper altiores foderrunt, per quas cogitationes, sententiae et inventa scien-

tiae et artium circumferri sunt impeditae. Saepissime enim impedimenta experimur quae oriuntur a diversitate linguarum quibus uti necesse est. » ¶ Anno 1966, mense Aprili, habitus est Romae « Omnium gentium ac nationum conventus Latinis litteris linguaeque fovendis », ut erat in votis praecedentis conventus Vitae Latinae. Iohannes Capelle, ut decebat, nominabatur inter Honoris causa Consilii sodales. Petrus Romanelli, clarus Italus archaologus et Instituti Romanis studiis provehendis praeses, auctor erat huius conventus ; idem praerat Consilio Conventui constituendo, cuius ceteri sodales erant Guarinus Pacitti, Goodwin Beach, Petrus Grimal et Robertus Schilling. ¶ Ad finem huius frequentissimi conventus participes quinque vota tulerunt : « 1) ut manerent vota rataque haberentur in superioribus de Latinitate conventibus prolata ; 2) ut in sessionibus auguralibus auspiciisque sive Latino, sive vernaculo sermone uti liceret ; 3) ut Latino sermone uterentur oratores in referendo de quavis re ad omnes ; ut Latino tamen vel vernaculo sermone uterentur qui de re deque quaestionibus propositis in utramque partem ex tempore disputare vellent ; 4) ut officium quoddam Romae constitueretur quod sedem apud Institutum Romanis Studiis Provehendis haberet. Praeterea ut ii in hoc consilio sederent quibus de futuris condendis conventibus cura mandaretur a sua cuique gente ; 5) ut consilium, de quo supra, nationem urbemque deligeret in qua novus conventus habendus esset. »¹ ¶ Quartum votum nostra hic interest, quia ibi est origo Academiae ; est enim anno 1967 condita, ut pars Instituti Romanis Studiis Provehendis ; eius primus praeses fuit Petrus Romanelli. ¶ Quibus notis, haec verba in Academiae sessione feci :

« Praeclare Praeses, spectatissimi sodales, Vobis gratias ago quod me in vestram Academiam cooptavistis. ¶ Singulariter Theodorico Sacré gratias ago, qui me apud vos verbis tam laudaticis commendavit, ut ea legere non possim nisi erubescens. Theodicum primum conveni ante viginti annos, cum esset doctorandus apud professorem Iosephum IJsewijn ; tunc sessiones Latinas circuli Belgici assidue et scienter participabat ; anno 1985 etiam fuit inter paucos amicos, qui mecum Fundationem Melissam condiderunt, cuius propositum ex statutis est usum linguae Latinae propagare. Professor Sacré non solum litteras Latinas docet, sed Latine laute scribit et loquitur. Si plurimi professores in orbe cultus Europaei eiusdem virtutis essent, lingua Latina certe non esset in tanto discrimine. ¶ Re veramquam putavi me aliquando sodalem huius Academiae fore. Eam enim propter inertiam saepius

vituperavi ; cum filia esset motus Vitæ Latinæ, mihi carere videbatur virtute idonea ad Latinitatem vivam provehendam. ¶ Et verisimiliter sodalis non factus essem, nisi Academia præsidem nunc haberet Tuomonem Pekkanen, illum actuosissimum Latinitatis vivæ propugnatorem. Eum primum conveni anno 1987, tempore quo motum Latinitatis vivæ nondum noverat. Cum audivissem eum in Latinum vertisse ingens Finno- rum carmen *Kalevala* inscriptum, eum Bruxellas invitavi, qui in ædibus Communitatis Europææ suum opus publice præsentaret. Hoc fuit initium frugiferæ amicitiae. ¶ Anno 1975 primam epistolam Latinam multo sudore conscripsi, quam ad Petrum Grimal misi, illum Academiae sodalem, qui tunc præerat consociationi Vitæ Latinæ. Eodem anno ultimum huius consociationis conventum Pali participaveram. Tanta tunc mihi visa erat discrepantia inter facta et conventus vota in periodico Vitæ Latinæ divulgata, ut me non tenerim quin præsidem interrogarem ; epistula mea una cum eius responso in periodico divulgata est². E quo tamen responso comperi nil boni a Petro Grimal expectandum esse ; scribebat enim inter alia hæc : « Num Vitæ Latinæ propugnator ipse victum se fatebitur et transfuga ad hostes se conferet ? Victum proditoremque nullo modo me dici volo, nec contra insanum ac studio linguæ Latinæ provehendæ delirantem... At reputet in vanum nos novam linguam Latinam creaturos esse si nemo sit qui vetere, vel, si mavis, classica uti sciat. » ¶ Feliciter alium virum multo magis strenuum pertinacemque paulo post inveni, Doctorem Cælestem Eichenseer, etiam Academiae sodalem. Ille permulta utilia contulit Latinitati vivæ et sermonem Latinum vivum me docuit. Annis octogesimis præteriti sæculi, eum Romam compluries vixi, qui vernalem Academiae sessionem in monte Aventino participaret. ¶ His occasionibus mihi contigit cum nonnullis sodalibus sermocinari, inter quos Iosephus IJsewijn. Ille egregius doctissimusque professor optime Latine loquebatur, sed infeliciter mature Latinitati vivæ operam dare desiit, ut, verbi gratia, patet ex relatione Feriarum Latinarum³, quas Roboreti anno 1972 instituerat Ianus Novak, clarus Moravus musicus necnon poeta Latinus. Iosephus IJsewijn illas Ferias participavit una cum nonnullis suavibus poetis Latinis, sed participum entusiasmum tristissimis verbis abrupte restrinxit. Dixit enim in acroasi sua vernaculas litteras ad plenam maturitatem pervenisse, auctoribus clarissimis florere et semper novis experimentis altiora petere et redintegrari ; auctores autem Latinos semper in angusta iudicandi ratione remanere ; eadem iudicii artatione et viros, qui certamina litteraria indicunt, laborare.

« Ubinam terrarum, aiebat, litteras florentes invenire possitis, quæ in æternum ad quorundam decessorum imitationem decantarentur ? » ¶ Professor IJsewijn anno 1993 Academiae conventum in Belgica instituit. Animo iam diu demisso, magnam rerum mutationem in Academiam tunc induxit ; oratoribus enim licuit verba facere vernaculis sermonibus, id quod omnino contrarium erat academiae proposito initiali. Hunc conventum participare nolui. ¶ Feliciter insequenti conventu in Finnia habito Tuomo Pekkanen traditam regulam firmiter restituit. Academia enim est solum præstans institutum, quod origine sua aptum sit ad Latinitatem integram provehendam, cum alibi amputata tantum colatur. Exemplo demonstrandum est vivam Latinitatem multum prodesse ad gentes cultus Europæi inter se amicitia coniungendas. ¶ Spero fore ut, Tuomone Pekkanen præside, Academiam Latinitati Fovendæ iam non vocare liceat « academiolam », sed contra quam latissime amplificetur eius fama. Adiuvante docta uxore mea Francisca, huic consilio pro viribus meis libenter operam dabo. Dixi. »

¶ Operam dare usui linguæ Latinæ restituendo estne re vera insanum, ut iam anno 1976 Petrum Grimal tunc Vitæ Latinæ præsidem non puduit scribere ? Si id crederem, hoc consilium iam ante triginta annos non iniissem nec proposito meo stare pergerem. Feliciter autem solus non sum ; multi enim in circulis Latinis idem sentiunt, quibus contigit ut aliquis inexpectatus se adiungeret. Nam mense Martio in Francogallico diario *Le Figaro* divulgata est symbola c.t. « Le latin, une langue pour l'Europe »⁴ (i.e. « Lingua Latina, lingua Europæ apta ») et quam conscripsit Iohannes-Philippus Vincent, edoctus in schola superiore E.N.A. (*Ecole Nationale d'Administration*) et nunc studiorum director in Instituto Parisino Studiorum Politicorum. Qui vir omnia argumenta, quæ proferre solemus, sibi assumit, exemplum linguæ Hebraicæ renovatæ affert atque concludit dicendo institutionem linguæ Latinæ esse mutandam. ¶ Hodie magis quam umquam cultus civilis Europæus eget suo tradito vinculo, lingua scilicet Latina. ❀

Gaius LICOPPE

1. *Acta*, Romæ, 1968, p. 378. Cetera citata etiam excerpta sunt ex actis conventuum.

2. *Vita Latina*, fasc. 61, m. Martio a. 1976.

3. *Vita Latina*, fasc. 50, m. Maio a. 1973, p. 5.

4. *Le Figaro*, 3 m. Martii 2005, p. 12.

DE LATINITATE ORIENTALI

– scripsit Gaius Licoppe –

PROŒMIVM

Vivæ Latinitatis rete maculas ubique habet, etiam in Dacoromania. Ibi enim, in urbe Pitestiis, vitam degit optimus sodalis noster Alexander Vasile. Qui vir anno 1963 studia philologiæ classicæ in studiorum universitate Bucarestiensi incohavit. Ipse scribit hoc : « Nam elegantia, harmonia et miraculum linguæ Latinæ, inde ab initio cum gymnasium frequentarem, me allexerunt et aliquando modo vivo loqui cupiebam ». Hæc vero studia fecit eo infelici tempore, quo sæviebat regimen communisticum, ita ut « in primis tribus annis studiorum meorum, nescirem utrum linguæ Latinæ an doctrinæ marxistæ studerem. Historiam Romanam et Græcam ab auctoribus sovieticis scriptam legere et discere debebamus. Itaque inter tales inanes prælectiones ego de rebus humanis ac divinis profunde cogitabam et Ciceronis opus de Finibus malorum et bonorum vel Tusculanas disputationes avidè legebam. »

Inter Alexandri professores erat Nicolaus Barbu, Academiæ Latinitati Fovendæ sodalis, quem semel mihi contigit convenire inter conventum in Senegalia anno 1977 habitum. Nicolaus Barbu Latinitati vivæ multum favebat et libenter Latine loquebatur ; ipse post Academiam anno 1967 Romæ conditam primum eius conventum internationalem Bucarestiis vel potius Constantiæ ad Pontum Euxinum instituit. Huius conventus Arrius Nurus¹ laudatitiam relationem in fasciculo 42 *Vitæ Latinæ* divulgavit, in qua inter alia leguntur hæc : « Hoc autem inter alia Conventus docuit : re politica gentes seiungi, coniungi cultu atque humanitate. » Nicolaus Barbu anno 1972 primum Conventum Ovidianum Tomos ad Pontum Euxinum etiam convocavit.

« Præter Nicolaum Barbu, qui nonnumquam allocutiones officiales Latine habebat, ait Alexander, nemo alius, assistens vel professor, Latine loqui valebat. Maior pars magistrorum exiguas notiones de lingua Latina docenda habebant. Mea studia classica, inquit, maxima cum amaritudine perfeci ; nam dissertatio finalis ad psychologiam in Senecæ operibus spectans, de qua antea neminem consultaveram et quam Latine exarare ausus eram, ut scelus contra humanitatem iudicata est et eam in Dacoromanicum vertere debui. Professor Barbu quoque meo incepto obstitit, quod institutionis programma eo violaretur. »

Studiis perfectis, Alexander in schola docere cœpit, non linguam Latinam infeliciter, sed Francogallicam. Propter salarium nimis exiguum institutionem scholarum relinquare cupiebat ; anno 1970, aliquo amico commendante, ei contigit Pitestios migrare, ibi in Dacoromaniæ maxima fabrica eliquatoria et petroche-

mica interpretis munere fungi, maius salarium tandem mereri et melioribus vitæ condicionibus frui. Inde per multos annos ei defuit occasio linguæ Latinæ exercendæ.

Anno autem 1996 res fortuito mutatae sunt. Suo solito munere interpretis fungens, Alexander Vasintoniam una cum Dacoromanis legatis petivit ad aliquem conventum participandum. Ibi, dum inter sessiones bibliopolas lustrat, phonocasetam « Latinum » inscriptam invenit emitque. In patriam reversus, ad Americanum phonocasetæ auctorem epistolam misit, interrogans ubi Latinitatem vivam exercere posset ; responso subiuncta est schedula, qua nomen dare poterat ad Academiæ Latinitati Fovendæ conventum anno 1997 participandum. Alexandro infeliciter Finiam petere non licuit, sed anno 1998 Matriti interesse valuit Societatis Latinæ seminario. Sic tandem orbem Latinitatis vivæ invenit.

Ab eo tempore gratum commercium cum eo habemus ; nos Bruxellis visitavit occasione alicuius conventus technici ; nobis autem eum in Dacoromania convenire nondum contigit. Ei gratias maximas ago pro ingenti copia informationum, quas diligenter exquisivit et mihi benigne tradidit ; sine quibus symbolam « De Latinitate orientali » conscribere non potuissem.



Mapa geographica regionum Balcanicarum.

PRIMA PARS : PRIMVM MILLENNIVM ANTE CHRISTVM NATVM.

Dacoromaniam investigare atque explicare in animo habebam, cum hæc regio Occidentalibus parum esset nota, quin etiam arcana ; qui sunt illi Dacoromani ? Cur cognominari solent « Latini orientales » ? At cum rem investigare cœpissim, animadverti vix fieri posse, ut de sola Dacoromania tractarem. Dacoromania enim pertinet ad aream multo latiore, ubi quondam floruit Latinitas orientalis, i.e. Latinitas eorum populorum qui, ultra mare Hadriaticum ad orientem versus, pæninsulam, quam hodie Balcanicam vocamus, incolunt.

Neminem fallit Europam post homines natos per-



Nomina gentium.

multas invasiones passam esse ; hoc etiam sæpissime accidit in regionibus Balcanicis. Narrationem inchoat Ætate Ænea, cum Thraces Indo-Europææ stirpis non solum totam pæninsulam Balcanicam, Hellade excepta, incolebant, sed etiam magnam partem Europæ centralis ; boni agricolæ erant, cum agricultura in hac regione iam septimo millennio initium habuisset. Archæologi multis inventis demonstraverunt Thraces exeunte secundo millennio frequentes, excoltos locupletesque fuisse ; nonne Orpheus, ille divinus poeta musicusque, dicitur ex gente Thracia oriundus esse ? Nonnulla e pulcherrimis archæologorum inventis Bruxellis admirari licuit anno 2002, cum habita est exhibitio « Europalia » de Bulgaria.

Thracum prosperitas evanuit circa annum millesimum a.Chr.n. propter Cimmericorum invasionem, quos septimo sæculo secuti sunt Scytæ. Isti barbari multa deleverunt, sed multo pauciores erant quam Thraces. Ab eo tempore inchoatur Thracum ætas historica, cum de eorum rebus gestis nonnulla narraverint veteres auctores Græci, ut Herodotus, Thucydides vel Strabo. Præcipuæ Thracum septentrionalium gentes vocantur Getæ et Daci.

Fama ferebat Thraces mores satis feros habere, ut legitur apud Pomponium Melam : « Una gens Thraces habitant, aliis aliisque præditi et nominibus et moribus. Quidam feri sunt et paratissimi ad mortem, Getæ utique. Id varia opinio perficit ; alii redituras putant animas obeuntium, alii etsi non redeant non extinguunt tamen, sed ad beatiora transire, alii emori quidem, sed id melius esse quam vivere. Ne feminis quidem segnis animus est. Super mortuorum virorum corpora interfici simulque sepeliri votum eximium habent. (...) Nupturæ virgines non a parentibus viris traduntur, sed publice aut locantur ducendæ aut veneunt. »²

Spargapeithes est primus Dacorum rex, cuius nomen nobis sit notum ; sexto sæculo regnat. Instant autem novæ invasiones, frequentes et vehementes ; quinto et quarto sæculo irrumpunt Celtæ, tertio sæculo Germani Bastarnæ, qui magnam Thraciæ agri partem occupant et territant. Nihilominus, inter quintum et tertium sæculum, Thracum optimates auro divitiisque abundant, ut patet ex splendida suppellectile in tumulis Vallis Regalis inventa.

A tempore Alexandri Magni, Macedonii hellenizati a meridie irrumpentes Thracum regionem in suam dicionem redigere conantur. Ipse Alexander anno 335 Danuvium traicit et primum impetum facit, sed aliis urgentibus curis impeditur ne rem ad effectum ducat. Decem annis post, circa annum 326, eius legatus Zopyrion, qui Thraciam meridionalem gubernat, ultra Danuvium iterum facit impetum, cuius exitus pessimus est ; Zopyrion enim eiusque 30 milia militum a Getis et Scytis exterminantur. Tertium impetum facit Lysimachus, unus ex Alexandri successoribus, cui tributa est Thracia meridionalis. Danuvio anno 302 traiecit, sequitur durum bellum decem annorum, cuius finis iterum est clades ; anno enim 292 Lysimachus cum toto exercitu, familia thesauroque capitur a Getarum rege Dromicheto.



Thrax eques partim cataphractus (IV s. a.Chr.n.). E thesauro Letnitsa (Europalia Bulgaria).

Post Macedonum impetus fractos, Romani apparent in scæna Balcanica. Polybius narrat tertio sæculo a.Chr.n. in Illyrico fuisse regnum barbarum, cui superbe imperabat regina Teuta. Eius naves in mari Hadriatico iam sæpius ceperant cives Romanos, qui in servitudinem redigebantur. Quæ cum ita essent, sena-

tus Romanus anno 230 ad eam legatos misit, quorum unus trucidatus est iussu reginæ. Inde bellum ortum est et tunc primum exercitus Romanus mare Hadriaticum transiit Illyricumque invasit ; Teuta fugata est. Anno 221, cum piratæ Histri in mari Hadriatico iterum sævirent, Romani Histria potiti sunt ; in Illyrico manserunt, secum linguam Latinam in pænisulam Balcanicam primum afferentes.



Thesaurus argenteus viginti circiter chiliogrammatum, constans ex 54 birneis, 105 pialis et 3 poculis, a. 1986 fortuito inventus prope vicum Rogozen (Europalia Bulgaria).

Citra Danuvium patebat Macedonum regnum Balcanicum. Eius rex, Philippus V, inter secundum bellum Punicum Hannibali favit. Quare, profligatis Carthaginensibus, Romani Philippum V aggressi sunt. Consul Flaminius anno 197 eum Cynoscephalis in Thessalia vicit. Triginta circiter annis post, novum bellum Macedonicum gestum est ; rex Perseus Pydnæ in Macedonia a consule Æmilio Paulo victus est. Ultimum proelium factum est anno 146 ; Macedones a Cæcilio Metello profligati sunt atque Macedonia facta est provincia Romana ; Græcia autem tutelæ Romanorum subiecta est.

Thracia, quamquam in Europa citra Danuvium sita, erat hereditaria possessio Seleucidarum, Alexandri Magni in Asia successorum. Eorum regi Antiocho III Romani diffidebant, inter alia quod anno 195 hospitem receperat Hannibalem sua patria exsulem post secundum bellum Punicum. Antiochus anno 192 Græciam invadit, sed, a Romanis ter victus, Thraciam anno 189 eis concedere coactus est. Sic factum est ut secundo sæculo a.Chr.n. maior pars regionum Balcanicarum infra Danuvium sitarum in Romanorum dicionem redigeretur.

Primo sæculo ineunte, Mithridates rex Ponti frustra conatur Thracia et Macedonia potiri. Postea, anno 48, inter bellum civile, Cæsar exercitum in Illyricum traiecit atque per regiones Balcanicas Pompeianas copias persequitur usque in Thessaliam, ubi Pompeium Pharsali devincit. Ab eo tempore nemo Romanis iam obstare valebat in regionibus Balcanicis citra Danuvium sitis. Una cum militibus adveniebant mercatores Romani. Sic, iam primo sæculo a.Chr.n., gentes harum regionum linguæ Latinæ paulatim assuefiebant.

Non omnes tamen Romanis erant submissæ, quare Octavianus, Cæsaris nepos et successor, Illyrici expugnationem perficere debuit. Novas provincias instituit, quarum Pannonia et Mœsia Danuvio adiacebant. Tunc imperium Romanum ubique usque ad Danuvium patuit. Ultra Danuvium erat potens Dacorum regnum, quocum Octavianus consuetudinem prudenter iunxit ; eum regi Cotiso filiam suam Iuliam despondisse fama fert.

Exeunte igitur primo millennio a.Chr.n. præsentia Romana firmiter constituta erat in regionibus Balcanicis ; lingua Latina in has gentes diffundi cœpta est a militibus, colonis et mercatoribus, eo facilius quod dialecti locales scriptura carebant. Lingua autem Latina non solum accepta est a gentibus citra Danuvium sitis, sed paulatim etiam ultra Danuvium a Dacis, quibuscum Romani commercium habebant. ❧

Imago tegumenti : vas in avis formam fictum (ætas ænea). E necropoli ad Orsoïam (Europalia Bulgaria).

1. Arrium Nurus se ipsum vocabat Harry C.Schnur, Stamfordiæ in Americana Civitate Connecticutensi professor.
2. Pomponii Melæ Chorographia, II, 17-19.



Rhytium e thesauro aureo eximie qualitatis et sex circiter chiliogrammatum, qui constat ex octo rhytiis et una piala (IV-III saec. a.Chr.n.) ; a. 1946 fortuito inventus est prope Ploudiv (Europalia Bulgaria).

DE MARCO POLO

- scripsit Victorius Ciarrocchi -

Etsi neque dies neque mensis constat, quibus Marcus Polo natus est, fere omnes tamen rerum gestarum scriptores eum anno 1254 Venetiis natum esse tradunt. Quem virum cum ad mercaturam bene exercendam instituissent Nicolaus pater et Matthæus patruus, negotiatores etiam faciendorum itinerum experti, anno 1271 veluti longissimi itineris socium duxerunt usque ad orientales Sinarum regiones. Trium annorum fuit iter illud, quo tandem confecto audaces illi viri ad aulam pervenerunt imperatoris, qui erat Kubilaius Khan, nepos Gengisi Khan (sed forsitan rectius : Cing(h)i Khan) : hic Mongolorum imperium condiderat, quod ille firmavit ampliavitque adeo, ut Serum urbem principem occupatam « Khanbalik » appellaret, quæ postea « Pekinum » est vocata. Circiter septendecim annos apud Kubilai aulam commoratus est Marcus, qui ab illo imperatore munera legati et consilarii explenda accepit atque haud paucis honoribus emolumentisque honestatus est.

Cum autem Kubilaius pæne septuagenarius esset cumque quid post eius mortem futurum tres illi Polo metuerent (nam res et vivendi condiciones in peius mutari præcipue eis in regionibus poterant), una cum patre et patruo Marcus consilium Venetias redeundi cepit. Terra marique iter fecerunt ; demum anno 1295 eam in urbem, cuius incolæ, ut illis temporibus mos erat fere ubique in Italiæ regionibus, cum Genuensibus bellum gerebant, tandem redierunt. Ab his Marcus, qui navem bellicam duxerat, captus est et in vincla coniectus.

Anno 1298, dum in carcere Genuensi custoditur, Rustic(h)ello Pisano, eiusdem calamitatis consorti dictasse Marcus fertur quosdam eventus, quorum apud Seres particeps fuerit. Insequenti anno, pace Genuenses inter et Venetianos conciliata, e custodia Marcus est dimissus et, Venetias reversus, uxorem duxit librumque illum vulgandum curavit.

Cuius quidem libri, quem Rustic(h)ellus sermone Francogallico Italicoque composuerat, exemplar « originarium », cui titulus fuerat « Orbis terrarum descriptio (sive dispositio) », desideratur ; exstant nihilominus circiter centum quadraginta codices, variis linguis conscripti et illius operis textum servantes, quod plerumque « Milio » inscriptum est (Italice : « Milione »). Hoc autem verbo, quod est « Milio », nec pecuniæ summa significatur nec rerum mirabilium numerus a Marco narratarum, qui 'decies centena milia' sit ; sed « Milio » est solum forma breviata cognomenti cuiusdam, quod erat « Æmilione », quo plerique Marci familiam vocitare solebant. Sæculo quarto decimo ineunte vir quidam 'ordinis prædicatorum', nomine Franciscus



Marcus Polo, in prima editione Norimbergæ a. 1477 facta.

Pipino, « Milionem » Latine vertit. Qua in translatione leguntur ex. gr. hæc : « Lop est civitas magna ad introitum deserti magni quod est inter plagam orientalem et aquilonarem ; homines civitatis legem miserabilis Machometi tenent. In hac civitate pro mercatoribus volentibus transire desertum cuncta præparantur necessaria ; ubi mercatores priusquam iter arripiant diebus plurimis requiescunt ; ubi asinos fortes et camelos victualibus et mercationibus onerant et sic iter arripiunt per desertum. In triginta diebus ad deserti terminum pervenitur per latitudinem ; longitudo vero eius amplius patere fertur, ut vix ab initio eius in uno anno perveniri possit » (Liber I, cap. 44).

Anno autem 1932 in tabulario ecclesiæ cathedralis Toletanæ, i. e. urbis Hispanicæ, codex quidam inventus est, quo textus « Milionis » Latinus continetur discrepans ab illo « Pipin(i)ano ». Quem codicem, siglo <ms.49.20 Zelada> signatum, maximi momenti esse adfirmant plerique viri docti, etiam quoniam ipse prior esse exemplari « originario » deperdito videatur. Nam Alvarus Barbieri, qui anno 1998 textum illum edendum curavit una cum translatione Italica (=« Milione », domus editoria Guanda, Parmæ, ISBN 88-8246-064-9), cum alia tum scripsit hæc : « Textus igitur Latinus, qui codice Toletano continetur, primum locum obtinet præ ceteris aliis codicibus » (p. XXXV præfationis libri supra memorati). Latinitate sane neque

Ciceroniana neque Augustiniana neque Gregoriana usus est scriptor illius textus Toletani, sed rudi ac simpliciore ; uno verbo : ‘mediævali’, quæ dicitur.

Attamen « Milionem » in libris Europæi cultus civilis gravioribus adnumerandum esse omnes viri docti censuerunt et una voce adfirmant, seu vera seu partim commenticia sint, quæ Marcus et Rustic(h)ellus scripserint : « Omnium virorum, qui orbis terras et Civitates investigaverint, ille (scil. Marcus Polo) maximus fuit » (Alexander von Humboldt). E codice Toletano, qui in CLXVI capita est dispersitus, en quædam excerpta :

1) « Sunt igitur in civitate Cambalu [=Pekino], inter christianos, saracenos et cathaicos, circa .viii. [=quinque milia] astrologi et divinatores, quibus Magnus Can [=Kubilaius] quolibet anno provideri facit de victu et vestitu veluti pauperibus supradictis ; qui continue in civitate eorum arte utuntur. Habent enim quoddam eorum astrologium, in quo scripta sunt signa planetarum, hore et puncti totius anni » (XLIV, 1-2).

2) « Cum vero discedendo ab insula Seylan itum est versus ponentem circa miliaria sexaginta, invenitur magna provincia Maabar, que nuncupatur India Maior, videlicet nobilior India que sit (...) Item vobis extraneum novum dicemus, videlicet quod iste rex multos habet fideles in hunc modum, quia sunt fideles regis in hoc mundo et in alio. Isti fideles serviunt regi in curia, et equitant secum et habent magnum dominium et locum erga ipsum. Et cum rex moritur, corpus ipsius comburitur. Et tunc omnes isti sui fideles se simul in ignem proiciunt cum rege et cum ipso comburuntur causa associandi ipsum in alio seculo (...) Deus per se stat in uno altari sub una cuba [cuba= fortasse ‘conopeum’, ‘aulæum’], et dea per se in alio altari sub alia cuba ; et dicunt gentes ille quod deus solatiatur cum ea multociens et simul coniungantur, ita quod, cum conturbantur, simul non se coniungunt. Et tunc iste domicelle supradicte illuc veniunt ad pacificandum eos ; et cum ibi sunt, incipiunt cantare, tripudiare, salire, et diversa solatia facere ad comovendum deum et deam ad leticiam et ipsos reconciliandos (...) Iste quidem domicelle, dum domicelle sunt, ita sunt dure carnes quod nullus posset eas in aliqua parte modo aliquo comprehendere vel pizigare [=vellicare]. Earum mamille propter duriciem non pendent, ymo stant sublevate et irte » (CVII, 1 ; 56-62 ; 174-185).

3) « De quibusdam preliis habitis inter Magnum Dominum [=Kubilaium] et regem Caydu narabimus. Et primo dicemus qualiter ad prelium pergunt. Est eis preceptum quod quilibet ipsorum in prelium portet sexaginta sagittas, quarum triginta sunt minores, causa

transfigendi, relique vero triginta sunt maiores, que ferrum habent largum. Ista proiciunt cum sunt prope inimicos, et de ipsis se in vultu feriunt et in brachiis, et sibi invicem cordas arcuum incidunt et magnum damnum sibi vicissim inferunt (...) Et manus apposuerunt ad arcus et sagitare ceperunt. Et ær spissus erat de sagitis ut pluvia. Tunc videri possent multi homines et equi vulnerati ad mortem. Tunc audiri posset clamor et tumultus tam magnus quod mirabile erat. Et cum sagitaverint omnes sagittas, manus apposuerunt ad enses et clavas et unus in alium irruerant” (CXXX, 21-24 ; 54-61).

Has atque alias huiusmodi narrationes a vero minime alienas esse putant quidam viri Sinarum rerum peritiores, quia exeunte sæculo tertio decimo, dum pleræque Europæ regiones quodam incultiore vivendi genere præpediebantur, apud Seres econtra cultus civilis ad multas res pertinens vere laudandus erat ; Venetias ex. gr., quæ urbs id temporis inter omnes alias Europæas multitudine abundare dicebatur, haud amplius quam centum sexaginta milia incolarum inhabitabant, dum anno 1274 urbem Kinsai, quæ hodie Hangzhou vocatur, duo hominum miliones incolebant. Atque exeunte sæculo undecimo, id est duobus ante sæculis quam in eas Sinarum regiones Marcus pervenerit, iam quadam arte typographica Seres utebantur. In libro c. t. « De Europa Sinensi » doluit Renatus Etiemble quod Marcus nullam præcipue de Confuciana philosophia mentionem fecerit. Sed, obiecit Fridericus Rampini quadam in symbola « De Marco Polo » inscripta et in actis diurnis Romanis q. i. « la Repubblica » edita (die 3 Dec. 2004, p. 43), « si potius doctrinis philosophicis et religiosis Marcus fuisset imbutus, quam aromatum vestiumque bombyce confictarum peritus et haud dubie mercator versutior, is verisimiliter inquinatas opinionibus præiudicatis narrationes suas rettulisset atque has minime laudibus dignas nos putaremus ».

In librorum indice ad Marcum eiusque opus pertinentium, quorum vir doctus quidam Iapo, nomine H. Watanabe, mentionem fecit, 2.237 tituli continentur (« Marco Polo Bibliography 1477-1983 » inscribitur ille ‘librorum index ab anno 1477 usque ad a. 1983 editorum’ ; qui liber Tokii, apud domum editoriam ‘Toyo Bunko’, anno 1986 in lucem prodiit). Denique Romæ, Venetiis, Pekini totum annum bismillesimum quintum Marcus Polo celebrabitur atque usque ad mensem Februarium insequentis anni exhibitiones et acroases ad virum illum eiusque mirabile iter pertinentes habebuntur. Hac symbola qualicumque Marcum Polo commemorare volui, quia annum 2024, qui septingentesimus erit post illius viri mortem, exspectare ego nequeo : natura atque ætas provectora stultas vetant spes. ❀

« FRATERO AFFECTV »

SIVE DE II EPISTVLIS AD I. C. GEVARTIVM HVMANISTAM INEDITIS (1653-1654)¹

– scripsit Theodericus Sacré –

*Quod migret Anversam per te facundia linguæ
Ausoniæ, narrant ingemuisse Tibrim.*²

I. S[alutem] P[lurimam], Amplissime Domine et
Frater Char[issi]me.

Quod felix faustumque. Post quintum Tertianæ
meæ accessum, vehementem et diuturnum satis, per
Dei gratiam convalui ac molesto isti malo hac vice
valedixi. Percusserant me nonnihil annum agentem
LXIII subiecta Aul[i] Gellii lib[ri] XV, cap[itis] VII verba :
« Observatum in multa memoria³ expertumque est in⁴
senioribus plerisque omnibus, sexagesimum tertium
vitæ annum cum periculo et clade aliqua venire aut
corporis morbique gravioris, aut vitæ interitus, aut
animi ægritudinis. Propterea qui rerum verborumque
istiusmodi studio tenentur illum ætatis annum appel-
lant climactericum. » Æsculapio itaque litemus quod
leniter evaserim ! Id ut rite fiat, etiam atque etiam rogo
ut Ampl[itudo] Tua cum genero⁵ suo et coniuge⁶ nos
invisat ac nostra Encœnia⁷, morbo meo neglecta, aliqua
saltem ex parte nobiscum resumat, verno præsertim
adulto, ut oculos simul, nimio studio fessos, oblectare
et e cubiculo, immo lecto audire ac percipere possis
*quam philomela agitet gutture dulce melos.*⁸ Plura
coram. Venite et valete. Optem tamen uno die præmo-
neri.

Ampl[issi]mæ et char[issi]mæ D[ominatio]ni Tuæ
devotissimus et amantissimus frater

Carolus Gevartius

Scribebam Liræ, XVIII. Iunii 1653.⁹

2. S[alutem] P[lurimam], Amplissime D[omi]ne et
Frater Char[issi]me.

Gratissimum mihi est quod me ad D[ominorum]
collegarum et amicorum tuorum convivium tam huma-
niter et fraterne voces. Sed vehementer me torquet
quod tam benevolo tuo desiderio minime per me satis-
fieri hac in re possit. Malum meum impedit usque
adeo ut, licet die Dominico præsens adessem, convivio
vix interesse possem. Quare etiam atque etiam rogo et
precor ut excusari merear. Voto, animo et affectu præ-
sens ero et iucundam hilaritatem percipiam. Vale,
char[issi]me frater, utque convivium hoc in omni læti-
tia succedat ex animo voveo,

Ampl[issi]mæ ac char[issi]mæ D[ominatio]ni Tuæ
devotissimus et amantissimus frater

Carolus Gevartius.

Infirmor et ego cum gravi infirmitate magni illius
patroni¹⁰ mei, pro cuius incolumitate ac animi constan-
tia non cessabo sacrificia mea Deo Opt[imo] Max[imo]
quotidie offerre. Iterum vale, char[issi]me frater, et

D[omi]nos collegas et amicos omnes meo nomine
salutes velim.

Scripsi Liræ (imbecillo corpore) XVII Ian[uar]ii 1654.¹¹

Iohannes Gevartius pater (1553-1613), historiogra-
phus et iuris consultus diplomate Lovaniensi ornatus
idemque olim serenissimorum archiducum Alberti et
Isabellæ, Belgii principum, legatus ad fundamenta
Induciarum belli Belgici (1609-1621) iacienda, obiit anno
1613 ultimo mensis Aprilis die, quinque uti videtur
liberis superstitibus, qui omnes Turnholti in oppido
ducatus Brabantini vitæ lucem aspexerant.¹² Ex eis
Iohannes Casperius (1593-1666) et Carolus (1591-1654)
præ ceteris nomen aliquod sibi paravere. Ille¹³ enim
(Casperium dico), qui gymnasium Iesuitarum
Antverpiæ frequentaverat, Batavos adiit Gallorum ora-
tori ibi serviturus, dein et Lutetiæ in philologorum
cœtibus vixit ibique non solum *Electa* sive criticas in
scriptores veteres observationes prelo paravit, sed
etiam primitias poeticas in publicum emisit ; deinde
perfectis Lovanii apud studiorum universitatem iuris
studiis, Antverpiam se contulit, cuius urbis grapharius
sive archigrammateus anno 1621 est renuntiatus.
Munere illo per quadraginta functus annos, etsi inves-
tigationibus philologis porro non valedixit, tamen
negotiis exclusus permultis vix quicquam publici fecit
iuris. Excipiendi sunt versus ei, quos sæpe solebat
Latine condere, cum novi principes urbem suam
Belgiique ocellum sollempniter essent ingressuri ; quæ
carmina plerumque grandiloqua arcibus aliisque operi-
bus ad occasionem extractis inscripta, postea, cum
essent introitus celebrati, colligebat in librosque conge-
rebat splendorum sumptuososque. Idem Philippo IV,
regi Hispaniarum, et Ferdinando III ac Leopoldo
Cæsaribus historiographus erat sive regius sive
Cæsareus. Ceterum ipsi cum tot tantisque viris qui in
litterarum republica tum florebant intervenire neces-
situdines, ut Colbertus, Gallorum regi ab intimis consi-
liis idemque ærario Gallico præfectus, Ludovico rege
eius nominis XIV ipso iubente, benevolentiam erga
Gevartium verbis honorificis donoque sit testatus.
Itaque Casperius Gevartius ultimus omnium humanis-
tarum Antverpiensium dicebatur ; quo mortuo litteræ
quoque Latinæ in ea regione elatæ esse credebantur.
Carolus vero, Casperio fratre natu maior, fama multo
minor, iuris utriusque licentia in studiorum altiorum
domicilio Lovaniensi donatus, postquam Turnholti
decani munere est functus, canonicorum capituli
Lirani decem fere per annos (1645-1654) decanatum ges-
sit. Obit Liræ XXV Martii 1654, sepultus est in S.

Gummari ; lapidem sepulcralem conficiendum curavit Casperius.¹⁴

Erunt fortasse qui mirentur cur fratres eodem sermone nutriti atque alti (qui erat Nederlandicus) Latine inter se scripserint, licet epistolæ nihil continerent, quod diligenter celandum, neque tirones essent, quibus exercitatione Latina opus, neque doctores academici, quibus sermonis nostri usus tamdiu communis. Nec tamen raræ aves eiusmodi epistolæ Latine exaratæ. Eo enim consilio et illi et alii multi Latine inter se scripserunt, ut ingeniorum litteris artibusque excultorum litterarum essent interpretes testesque loci quem maximum sibi illi in civitate adepti esse viderentur ; hinc etiam iuvit Carolum facere Auli Gellii in epistula ad fratrem mentionem, hinc etiam versiculum aliquem interserere. Mos autem ille Latine scribendi exeunte sæculo XVII paulatim evanuisse mihi videtur eiusque sermonis in locum venisse Gallicus, qui his in tractibus pro doctorum sermone passim cœpit haberi, solis fortasse studiorum universitatibus et gymnasiis exceptis. ❧

1. Servantur Bruxellæ in Bibliotheca regia, cod. ms. 5988.
2. Anonymus, *Encomium in Casperium Gevartium* (cfr. D. Papebrochius, *Annales Antverpienses ab urbe condita ad annum M.DCC (...)*, edd. F.H. Mertens et E. Buschmann, 5 (Antverpiæ, 1848), pp. 277-279.
3. Editiones recentiores habent « in multa hominum memoria ».
4. Illud « in » aliæ editiones omittunt, aliæ tumentur.
5. Cui nomen Carolus Maria Sivori. Erat is Antonii filius, Nicolai patricii Genuensis nepos ; cfr. Papebrochius, *Annales*, pp. 205-206.
6. Casperii Gevartii filia (nam Maria Haecx, Casperii uxor, anno 1629 immatura erat morte prærepta).
7. Encænica dicuntur festi dies propter inaugurationem dedicationemve templi celebrati (Nederlandice *kermis*, Gallice *kermesse*). Itaque Iohannes Bleuwardus, iurisconsultus Lovaniensis, Balthasarem Moretum, typographum Antverpiensem, his verbis exeunte mense Augusto anno 1611 invitavit ad encæniam Lovaniensiam, quæ ut sæculo XVII, ita et hoc XXI, quo vivimus, ineunte mense Septembri solent agi : « Amicissime Domine, Encænica urbis Lovaniensis sunt prima Dominica Septembris ; ut tu et mater ad ea veniatis et ad ædes nostras veniatis animitus rogat Domina vidua [i.e. Iusti Lipsii] : gratissimi eritis. » (cfr. D. Sacré, 'Balthasar I Moretus en Justus Lipsius', in F. de Nave (ed.), *Justus Lipsius (1547-1606) en bet Plantijnse Huis* (Antverpiæ, 1997), pp. 109-128 (p. 126 adnot. 135)). Lirana autem encæniam etiam in ineunte mense Iunio celebrari mihi nuntiavit Theodericus Brys amicus Liranus.
8. Hunc versiculum apud veteres frustra quæsi ; quem suspicor ab ipso Carolo excogitatum, nisi forte e fonte nescio quo neolatino est haustus. Non longe ab illo distat hic, quem habet carmen de philomela incerto auctore vulgatum (Anth. Lat. 658R, 24) : Et suavi liquidum gutture pange melos.

9. F. 131r. Cfr. etiam f. 129 r (VII Iunii 1653) : « Gratias habeo maximas pro tam liberali vocatione ad Encæniam vestram. Hoc unum male me habet, quod non sum potens benevolæ tuæ petitioni satisfacere. Animo et affectu gaudiis Dominor[um] amicorum interero, quos omnes hilares esse et salvos exopto. (...) quod ego in febriculam tertianam inciderim, leviusculam quidem, ut illius fere sunt initia, sed quæ mihi somnum et quietem nocturnam adimit. »
10. Decani nisi omnia fallunt Antverpiensis ; eidem enim in epistola ad fratrem data Carolus « convalescentiam et sanitatem » vovebat (X Novembris 1653). Ei viro erat Francisco Dingens nomen.
11. F. 136r. Scripta est epistula duobus fere ante Caroli obitum mensibus.
12. Cfr. *Verzameling der graf- en gedenkschriften van de provincie Antwerpen. Arrondissement Antwerpen, 1 : Antwerpen. - Cathedrale kerk* (Antverpiæ, 1856), pp. 66-67 ; F. Baudouin, 'Het epitaaf van Jan Gevaerts : een portret van Adriaan Lommelin, naar Pieter Paul Rubens of naar Erasmus Quellin ?', in F. de Nave (ed.), *Liber amicorum Leon Voet* (Antverpiæ, 1985), pp. 485-504.
13. Cfr. M. Hoc, *Le déclin de l'humanisme belge. Etude sur Jean-Gaspard Gevaerts philologue et poète (1593-1666)* (Bruxellis, Parisiis, Londinii, 1922) ; L. Roersch, 'Gevaerts (Jean-Gaspard)', in *Biographie nationale (...) de Belgique, 7* (Bruxellæ, 1880-1883), coll. 694-700 ; Daniel Papebrochius, *Annales*, passim (qui et de Carolo Gevartio plura).
14. D.O.M./ Admodum Reverendi Domini/ D[omini] Caroli Gevartii/ Jurisconsulti huius Ecclesiæ/ Decani et Canonici tumulus./ Obiit Ann[o] MDCLIV, octavo/ Kal[endas] April[es] : cfr. *Verzameling der graf- en gedenkschriften van de provincie Antwerpen. Arrondissement Mechelen, 7 : Lier. - Parochie- en kloosterkerken* (Antverpiæ, 1902), p. 15. Cfr. etiam p. 60 (lapis memorialis) : D.O.M./ et/ Memoriam admodum Reverendi Domini/ D[omini] Caroli Gevartii juris consulti/ qui postquam Collegio Canonicor[um] oppidi Turnotæ/ decanus annos XV præfuisset/ a Philippo IV Hispaniar[um] Indiarumque Rege/ Belgarum Principe/ ad decanatum Canonicor[um] ecclesiæ oppidi Lyræ/ evocatus/ singulari pietatis et vitæ morumque integritatis/ exemplo, eo munere per annos VIII functus est/ et in omnes benevolus, in egenos munificus/ in ecclesiam hanc beneficus/ decessit magno sui relicto desiderio/ anno sal[utis] MDCLIV octavo Kal[endas] April[es] ætat[is] suæ LXIII/ atque in chori huius ingressu conditus/ resurrectionem exspectat/ Casperius Gevartius juris consultus/ sacræ Cæsareæ, regiæque Catholicæ Majestatis/ consiliarius et historiographus/ archigrammateus Antwerpianus/ fratri optimo hoc monumentum/ moerens posuit./ Quisquis ades, tu morte cades, sta, respice, plora./ Sum quod eris, modicum cineris. Pro me, precor, ora. Cfr. etiam D. Papebrochius, *Annales*, pp. 66-67 ; P.F.X. de Ram, *Synopsis actorum ecclesiæ Antverpiensis et ejusdem diæceseos status hierarchicus (...)* (Bruxellis, 1856), pp. 169 et 173.

BEATRIX ET EIVS AMICI (III)

SIVE DE VITA COTTIDIANA QVARTI DECIMI SÆCVLI

– scripsit *Francisca Deraedt* –

Vita miseri pastoris Petri Maurini – miserum dico, quamquam non raro se ipsum, qui nihil possideat, dicit divitem : omnia sunt relativa –, ergo vita eius, sicuti iam diximus, inquisitoriis Jacobi Fournier tabulis bene est nota. Cum eum præterita occasione reliquimus, in eo erat ut Guillelmi Maurini et Guillelmi Belhot Sireneos audiret sermones. Hi enim duo, catharorum hæresi iam capti, eum etiam atque etiam conantur ad rationem « bonorum hominum », qui vocantur, allicere. Res tamen non est facilis : nam Petrus est quidem vir simplex, sed iudicii non experts. « Et si, inquit, ita tenent veritatem et iustitiam, cur pro defensione veritatis et iustitiæ mori timent, cum apostoli pro prædictis non timuerunt mori ? »¹

Hoc autem temporis momento non agitur de doctrina tractanda, sed de pastoris lana « bonis hominibus » danda : primum vivere, deinde philosophari. At Petrus lanam suam sancto Antonio sanctæque Mariæ iam pie dicavit, parvam portionem suo servans usui. Quam ut hæreticis potius det, duo nebulones aggrediundur suadere : « Et tunc prædicti Guillelmi dixerunt ipsi loquenti, qui tunc totonderat oves suas (et remanserat penes eum aliquid de lana, unde volebat facere sibi vestes), dictos bonos homines non esse bene indutos, et maximam eleemosynam facturum esse ipsum loquentem, si dictis bonis hominibus mitteret de lana sua. Quibus ipse respondit se hoc non facturum esse, quia de dicta lana volebat sibi facere vestes, cum etiam iam dedisset unum vellus lanæ Beato Antonio et aliud vellus Beatæ Mariæ de Monte Alionis. Cui dicti Guillelmi responderunt eum maiorem eleemosynam facturum esse si daret de dicta lana dictis bonis hominibus, quam sancto Antonio, quia sancto Antonio multi dabant, dictis vero bonis hominibus pauci, et, ut dicebant, dicti boni homines rogabant Deum pro suis benefactoribus. »² Et ecce argumentum potissimum : si illi homines te Deo commendare valent, tum, procul dubio, eis operæ pretium est satisfacere. Sic paulatim delabatur Petri fides ingenua, sic hæretici eius tenues opes, animum moxque totam vitam obsident.

Hieme sequenti Petrus Maurini migrat ad vallem de Archas, ubi victum quæritat apud consobrinum Ramundum Maulen nomine. In eo vico Bernardam quandam amat, bonam catholicam, atque per duos annos amore suo totus occupatus non iam quicquam audit, aut audire vult, de catharis. Huiusmodi tamen desertionem consobrinus, et ipse hæreticus, diutius ferre non potest ; itaque amicos vocat, qui Petrum in rectam viam reducant miserumque pastorem severe reprehendant : « Et quomodo est hoc ? Tu, qui solebas diligere illos bonos homines et loqui de eis, modo

nihil curas nec loqueris de eis ? Quia convertisti te ad arlotarias et vis uxorem ? »³ Non vere necesse est scire quid sit « arlotaria », ut intellegamus hoc vocabulum plus minusve urbane pertinere ad Bernardam⁴. Inter omnes hæreticos ad persuadendum maxime habilis est Bernardus Belibasta, cuius familiam in hac historia non semel sumus conventuri. Bene, inquit, intellegitur Petrum uxorem quærere. Hæc est condicio humana. Sed quin aliquam eligit, quæ de religione secum consentiat ? Quacum animum possit bona fide aperire ? Cui insuper sint nonnullæ opes ? Belibasta aliquam habet proponendam, puellam sex tantum annorum, quam usque dum nubilis fiat pater libenter spondet. Petrus autem, qua est animi mollitia, diu reluctari nescit. Iamiam Bernarda deseritur, parvula puella nunc colitur et imprimis eius pater, qui promisso matrimonio paratus est futurum generum domum accipere, tamquam filium adoptare, ita consociare ut pastori posthac non iam necesse sit suis manibus laborare. Cur ille vir satis dives contentus sit pauperem pastorem tamquam futurum generum recipere, nobis non statim liquet ; causa tamen est simplex : nullum habet filium, solum tres filias, quas collocare non est tam facile.

« Et quomodo tu scis, interrogat Petrus Maurini, eam habituram esse intellegentiam boni, cum erit matura ? »⁵ Quæstio pastoris non est stulta. Nam inquisitoris tabulæ scatent talibus nuptiis conciliatis, quæ postea male cedunt : aliqui catharus in matrimonium læte ducit aliquam puellam, quacum putat se per totam vitam iucunda colloquia Albigenia iuxta focum habiturum esse. Sed a socero est delusus, re vera catholica megæra ei est delata, reliquam ætatem degere poterit silentio damnatus, semper suspiciosus, inquisitionem timens.

At Belibasta persuadere scit, scit allicere, scit blandiri. Procul dubio illa puella habebit intellegentiam boni, nam decenter educabitur, atque si quando res aliter sese habebunt, eam sufficet dimittere.

Ergo pastor matrimoniali coniuratione deceptus se hæreticis prædæ esse iterum sinit. Nunc non iam pro consobrinum laborat, sed pro Ramundo Petri puellulæ patre. Hoc modo, ut est mos temporis, ad eius familiam iam statim pertinet. Denique providenda est eius institutio hæretica ; quam curare solent « boni homines ». Neque pastor noster, neque nos adhuc bene intelleximus qui re vera essent illi « boni homines ». Sunt autem, aiunt, « tales quales sunt communiter alii, habentes carnes et ossa, et talis figuræ sicut sunt alii homines, sed illi soli tenent viam veritatis et iustitiæ quam apostoli tenuerunt. »⁵ Petrus eos paucis diebus

post est primum conventurus, occasione lautæ cenæ in domo Ramundi Petri præbitæ. Quid illa vespera dictum sit, hic non est locus investigandi. Hoc saltem animadvertamus, hospites satis multos receptos esse in culinam – tum enim ruri vix usquam, etiam in ditioribus domibus, ut est ea Ramundi Petri, invenitur cenatio – dum hæretici magistri pisces comedunt in cubiculo vicino.

Unum ex eis, Petrum Auterii, notarium, pastor noster numquam est revisurus : mox enim damnatus comburetur. Sed in domo Ramundi Petri, quam Petrus de pascuis petere solet ad penus renovandum, sæpe versatur Pradas Tavernerii, cibum suum catharum sumens, qui constat e pane, pisce, vino. Idem Petro admiratione pleno nonnumquam dat frustra panis a se ipso benedicti, dona pretiosissima quæ pastor assidue colligit et religiose servat, ut in tota regione scitur.

Mox tamen Petrus Maurini ab eis hominibus promissaque uxore discessurus est. Uno enim ex eis ab Inquisitione capto, ceteri territi constituunt papam adire, a quo veniam erroris sui deprecantur. Tam sumptuosum iter pastor suscipere sive non potest sive non vult ; hoc unum facit : ceterorum oves interea custodit. Denique, omnibus domum reversis, ipse familiam relinquit.

Postquam paucos annos Petrus in montibus cum ovibus suis vita fructus est tranquilla, ecce modo inexpectato redintegrantur miseriam matrimoniales. Alius enim Belibasta, Guillelmus prænomine, et ipse hæreticus, quem omnes « sanctum virum » vocant, in hac re malignum habet propositum. Occasione cuiusdam colloquii, in quo præter alia longe lateque explicat fieri non posse ut Christus sit in Eucharistia, nam ei tum esset per corporis humani pudibunda transeundum, quod cogitabile non est, occasione, inquam, huius colloquii, Belibasta paulatim insusurrat quæstionem feminarum : cum iuvenis pastor « nolit abstineri a mulieribus », ipse paratus est ei uxorem præbere, « unam bonam, et forte exinde habebitis infantes, qui facient vobis bene, et servient in vestra senectute », nam « honestius est habere unam mulierem quam ire ad multas. »⁶ Talis cogitatio non est nova : nam sæpissime matrimonium potius habetur pro remedio quam pro vero sacramento. Quamquam Petrus respondet se uxorem ducere nolle, se non satis pecuniæ habere, quam ut familiam possit sustentare, res mox est pacta de aliqua Ramunda, Petro vix nota. Hæc autem mulier, hoc est scitu dignum, eo tempore moratur in domo ipsius « sancti viri », qui præterea, ut catharum decet magistrum, se profitetur castissimum. Cur idem mulierem, quæ apud se vivit, tanta perseverantia curet in

matrimonium collocandam, nemo quærere audeat. De hoc proposito interrogatur Ramunda, nec mora : omnibus assentientibus, matrimonium ritu catharo, id est quam simplicissime, celebratur : coram duobus testibus sponsus « interrogavit dictam Ramundam num placeret ei quod ipse esset maritus eius, et dicta Ramunda respondit 'sic', et nihil plus dixerunt nec fecerunt ; quod audiens dictus hæreticus risit... »⁷... nam causam habuit ridendi sibi soli notam.

Iam tamen postero nuptiarum die Belibasta ridere desinit ; immo contra mirum in modum apparet mæstitia confectus ; negotia negligit ; ieiunat. Tribus diebus post, pastorem sine ambagibus rogat ut divertat a nova uxore. Iam diu patet bonum Petrum nescire quicquam recusare : itaque post unam fere matrimonii septimanam cito sancitur divortium. Interea... interea iam apparet Ramundam esse gravidam. Cuius autem est infans ? Petri ? An fortasse potius Belibastæ, cui ob hæreticam sanctitatem non liceat cum femina concumbere ? Nonne nuptiæ videntur eo conciliatæ esse, ut legitimaretur mulieris impia graviditas ? Pastor noster sero intellegit se delusum esse, se instrumentum fuisse, quo dissimulator iste suæ famæ consuleret. Nihilominus semper devotus mansurus est hæretico, qui bonitate eius libenter perget abuti. Belibasta anno 1324 in rogo comburitur. Paulo post Petrus ab inquisitore etiam captus in carcerem conicitur. ❀

1. *Le Registre d'Inquisition de Jacques Fournier, évêque de Pamiers (1318-1325)*, manuscrit latin n° 4030 de la Bibliothèque vaticane, édité par Jean Duvernoy, Toulouse, 1965, 3 vol., III, p. 120.

2. *Op. cit.*, III, p. 120.

3. *Op. cit.*, III, p. 121.

4. In Cangii lexico ipsum vocabulum non invenitur, invenitur tamen hoc : « arlotus, helluo, ventri deditus, ganeo, nebulo, homo nihili. » C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ Latinitatis*, Parisiis, 1883, impressio anastatica Arnaldo Forni Editore, 1981, I, p. 386.

5. *Op. cit.*, III, p. 122.

6. *Op. cit.*, III, p. 186.

7. *Op. cit.*, III, p. 190.

DE QVARTO CARMINE BVCOLICO VERGILIANO (III)

– scripsit Iobannes van Kasteel –

VII. REDEVNT SATVRNIA REGNA (v. 6)

Satis notum est iuxta philosophos illam materiam vel spiritum aereum debere primum liquefieri, id est fieri « aquam mercurialem, matrem omnium metallorum »¹; deinde coqui ut tandem fiat metallum perfectum, id est aurum.

Lapis primi ordinis est materia philosophorum perfecte purificata et reducta in puram substantiam mercurialem; lapis secundi ordinis est eadem materia, cocta, digesta et fixa...²

... Cumque cernerent (philosophi) omnia metallica mercurialis esse originis, mercuriumque pondere ac homogeneitate esse metallorum perfectissimo auro simillimum, hunc ideo ad auri maturitatem digerere sunt conati...³

Labor mercurii coquendi et digerendi dicitur esse longissimus et fastidiosus necnon divisus multa in regimina.

Venit tunc tempus illius lentæ et lenis coctionis vel fermentationis, de qua magistri dicunt: « Ne te tædeat coquere! » Tam infinitus videtur esse iste labor.⁴

Quare scias regimen nostrum esse in toto opere unum lineate, hoc est decoquere et digerere; et tamen unum hoc regimen multa alia in se complectitur.⁵

... Pro certo comperiimus nullum laborem præparatione nostra prima tædiosiorem. Idcirco Morienus serio regem hac de re hortatur, dicens plurimos sapientum de operis huius tædio fuisse conquestos. Nec figurate vellem hæc intelligi...⁶

Coquere sperma et semen usque ad partum solis perfectissimi.⁷

... Solem nostrum invenies intra menses septem aut novem aut decem ad summum...⁸

Matri *longa* decem tulerunt *fastidia* menses. (v. 61)

Ac primo sane de Mercurii regimine verba faciemus, quod est secretum a cunctis sophis numquam expressum. Illi, puta, a secundo opere seu *Saturni regimine* inceperunt...⁹

Peracto regimine Mercurii... proximum apparet *Saturni regimen*. Vult enim Deus quod inceptum opus ad debitum finem perducitur, estque scenæ huius hæc lex quod exitus unius sit introitus alterius, finis unius origo alterius, nec citius Mercurii regimen obsolescit, quin successor sibi ingrediatur Saturnus, qui imperium successionis iure obtinuit.¹⁰

Dico ergo quod in Mercurio sunt opera planetarum... Nam in foetu primo mense, cum semen a matrice acceptum est, Saturnus operatur...¹¹

Quotquot de hoc labore sophici scriptitarunt magi, de opere et *regimine Saturni* locuti fuere, quos perperam nonnulli intelligentes ac varios errores diversi sunt et propria sese opinione fefellerunt.¹²

Melius Huginus a Barma qui « descripsit secretum operis magni in tractatu suo c.t. *Saturnia Regna*, tamclare ut mysteria intellexisse præcipua videatur »!¹³

VIII. TV MODO NASCENTI PVERO...

CASTA, FAVE, LVCINA : TVVS IAM REGNAT APOLLO (vv. 8 et 10)

Sane hic Dianam Lucinam non immerito designat. Prior enim genita parturienti matri Apollinem tulisse auxilium dicitur.¹⁴

Clarius dici non potest illum puerum modo nascentem esse ipsum Apollinem, id est aurum vel gentem auream (v. 9). Poeta orat ut sibi liceat « tua dicere facta » (v. 54), quæ vocabula, Servio testante, pertinent ad Augustum, id est Apollinem.¹⁵ Vocabulum ipsum *puer* soli associatur :

Puer a puritate vocatus, quia *purus* est... Hi sunt *ephebi*, id est a *Phæbo* dicti.¹⁶

Ipsum *Phæbum* quasi *ephebum*, hoc est adolescentem (dixerunt). Unde et sol *puer* pingitur, eo quod cottidie oriatur et nova luce nascatur.¹⁷

De illa generatione pura, id est incorrupta, loquitur Poeta in octavo carmine :

Nec generis nostri puerum nec sanguinis edunt.¹⁸

... Ad anni usque revolutionem possis expectare generationem supernaturalis solis filii, qui circa finem sæculorum in mundum veniet, ut a labe cuncta suos fratres liberet.¹⁹

Iam operis tui fini appropinquas, tuumque fere perfecisti negotium, iam omnia instar auri obryzi (id est purissimi) videntur.²⁰

... Nutrias bene *puerum* per subtile nutrimentum, quia debet stare in loco *solis*, portans in se vim patris. Pater suo filio præstavit suam potestatem : iste est noster sol et nostrum aurum influxum.²¹

... Tuus iam regnat Apollo...
pacatumque reget patriis virtutibus orbem. (vv. 10 et 17)

IX. DE PROPHETA NASCENTI

Ille puer vel Apollo nascens etiam est Apollinis vates, id est poeta et propheta, nascens. Veteres clare indicant Apollinem non adesse nisi in vatibus suis ; his autem deficientibus, deum esse longinquum et absentem necnon muta oracula eius. Exempli gratia, postquam Amphiarus, Apollinis sacerdos, discessit, socii eius queruntur « abisse deos dilapsaque numina ».²² Item, post discessum divini Daphnidis, cuius nomen vatem indicat Apollinis, dicitur :

... Postquam te fata tulerunt,
ipsa Pales agros atque ipse reliquit Apollo.²³

Inducitur autem Daphnis *puer* vel *ephebus*.²⁴ Nonne ei qui Apollinis vultum in pectore suo tenere dicuntur, *pueri* appellantur ?²⁵

Hæc optime congruunt cum commentario Servii ad « errantis hederas passim cum baccare » (v. 19) pertinenti :

Mire autem *puerum* laudat ex ipsis muneribus. Nam hederæ indicant *futurum poetam*, ut :
« Pastores, hederæ *crescentem* ornate *poetam* ».²⁶
Baccar vero herba est quæ fascinum pellit, ut :
« Baccare frontem cingite, ne *vati* noceat mala lingua *futuro* ».^{27, 28}

Notandum est etiam in traditione Hebraica ac Christiana vocabula quæ Latine *puer* vertuntur designare *prophetam*. Legimus apud Esaïam :

Ecce ego et *pueri* quos mihi dedit Dominus in signa.²⁹

Commentatur sanctus Hieronymus :

... Non solum ego, sed et *pueri*, quos mihi dedit Dominus, alii videlicet *prophetæ* et filii propheta-

rum... Isti autem *pueri*, id est *prophetæ*, in signa dati sunt...³⁰

Apud Lucam quoque legitur :

Et tu, *puer*, *propheta* Altissimi vocaberis.³¹

Dicit sanctus Isidorus :

Puer autem... pro obsequio et fidei *puritate*, ut Dominus ad *prophetam* : *Puer* meus es tu...³²

Eo modo melius intellegitur cur quartum carmen bucolicum sensu Christiano vel Messianico accipi potuerit.

X. DE INTERPRETATIONE CHRISTIANA QVARTI CARMINIS

Non est locus hic ut temptemus enodare, sicut sæpissime iam temptatum est, quæstionem epinosam utrum Vergilius in quarto carmine, sive consulto sive quasi inconscius, alluserit annon ad mysterium Messianicum tale quale Iudæi docere solebant et mox secta Christiana doctura erat. Nobis utilius videtur inquirere cur olim Christiani mysteria sua a Poeta, quasi a propheta suo, celebrari acceperint. Nam quæstio hæc nullo modo exhausta est. Cui tamen incumbendo, nobis fortasse licebit melius ipsam traditionem Christianam intellegere.

Unum semiversum rursus examinare placet solum : « Iam redit et virgo » (v. 6). Quem Philargyrius simpliciter commentatur :

Virgo, id est Iustitia vel Maria.³³

Commentarius huius generis imprudens videtur. Nonne Christiani antiqui, vocabulo *virgo* seducti, id sine cogitatione ad Mariam adhibuerunt ? Nam, si *redit* Virgo, nonne iam antea venisse dicenda est ? Semel autem venisse a nobis creditur, id est ante duo milia annorum, ut Iesum pareret.

Ut sæpe, quæstio est funditus revolvenda. Si Christiani tam multi et docti non recusabant intellegere Virginem Mariam *redire*, nonne reditus Virginis erat pars doctrinæ eorum ?

Re vera, licet invenire apud Ecclesiam et antiquam et adhuc satis recentem permulta vestigia doctrinæ Marialis quæ appareat multo universalior et omnis temporis.

Imprimis, quemadmodum in Iesu Christo distinguuntur homo et Deus, sic in Maria discernitur aspectus humanus et divinus. A sancto Ludovico de

Montfort, exempli gratia, ultimo theologorum maximi momenti, Virgo appellatur « divina Maria » necnon « magnus et divinus mundus Dei ».³⁴

Iam sanctus Iohannes scripsit :

Civitatem sanctam Hierusalem novam vidi *descendentem de cælo* a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo.³⁵

Item sanctus Paulus :

Accessistis ad... civitatem Dei viventis Hierusalem *cælestem*.³⁶

Illa autem quæ *sursum* est Hierusalem libera est, quæ est *mater nostra*.³⁷

Hæc verba certe non intellegi possunt quasi pertinentia ad matrem Iesu tantum postquam in cælum ascendit. Nam sanctus Bernardus Virginem sic invocat :

Salve, *civitas* regis magni, ex qua nova et iucunda mundo miracula *nullis pæne ab initio defuere temporibus*. Salve, domina gentium, princeps provinciarum, *patriarcharum possessio, prophetarum mater* et apostolorum... quam Deus *semper a principio* propterea passus est oppugnari, ut viris fortibus, sicut virtutis, ita fores occasio et salutis.³⁸

Temporibus satis recentibus adhuc, Ecclesia diebus Sanctæ Virgini consecratis legebat textus hos in quibus Maria ipsa inducitur dicens :

Ab initio et ante sæcula creata sum et usque ad futurum sæculum non desinam.³⁹

Dominus possedit me *in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret, a principio*. *Ab æterno* formata sum et *ex antiquis, antequam terra fieret*. Nondum erant abyssi et *ego iam concepta eram...* *Ante colles* ego parturiebar... Quando præparabat cælos, *aderam...* *Cum eo eram cuncta componens...* ludens coram eo *omni tempore*.⁴⁰

Mysterium ergo Mariale ab initio traditum esse dicitur per omnes generationes, id est patriarcharum, prophetarum, apostolorum. Ludovicus de Montfort, exempli gratia, non timebat scribere regem David Mariam cognovisse et ut suam accepisse, dicendo de ea : « Hæc facta est mihi »⁴¹, et : « Posui immaculatam

viam meam ».⁴²

Ut aliud exemplum proferamus, ad commentanda illa Esaiæ vocabula celeberrima : « Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitis nomen eius Emmanuel »⁴³, sanctus Hieronymus ausus est scribere « Emmanuel de prophetissa, uxore eius (id est Esaiæ), esse generatum »⁴⁴, et : « Quidam prophetissam sanctam Mariam interpretantur ».⁴⁵

Eodem modo Maria Iohanni quasi mater eius traditur⁴⁶, ita ut Iohannes fiat novus propheta et quasi alter Iesus.⁴⁷

Re vera propheta, quotienscumque suscitatur, Virginem Mariam sive uxorem sive matrem accipere dicitur.

Sapiens Matrem recipit et ei hospitium dat donec puer in lucem edatur.⁴⁸

A momento concipiendi⁴⁹ usque ad tempus pariendi⁵⁰, Virgo in sapientis tutela manebit.⁵¹

... Is qui Sanctam Virginem servat, qui ei parienti secreta adest et qui parvum puerum de cælo demissum educat...⁵²

Melius ergo potest intellegi cur Maria ab Hieronymo appelletur « virgo perpetua »⁵³ et in hymnis Ecclesiæ cantetur « semper virgo »⁵⁴ necnon « virgo prius ac posterius ».⁵⁵ Hæ definitiones alludunt ad mysterium æternum quod transeat tempora Christiana quæ dicuntur.

Qua de causa Constantinus, in commentario quarti carminis bucolici, non metuebat paraphraseos causa scribere : « Venit virgo *iterum* ducens regem desideratum », et commentarii causa insistere : « Quidnam est virgo quæ *redit* ? Nonne illa quæ facta est plena et prægnans divini spiritus ? »⁵⁶

Esto ! fortasse aliquis dixerit, licet Virgo Maria redire dicatur. Nonne hæc omnia longe absunt ab interpretatione « pagana » quæ illam virginem Vergilianam esse Mercurium vult ? Respondemus meditanda esse verba Marsilii Ficini Florentini, canonici Christianissimi XVI sæculi :

Unde non immerito gloriosissimæ divæ Virgini Mariæ æquiparatur Mercurius.⁵⁷ ❀

1. L. de Saint-Didier, *op. cit.*, II, *Entretien d'Eudoxe et de Pyrophile*. Cfr. J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, II, p. 162.
2. *Ibid.*, p. 144.
3. Philaletha, *op. cit.*, XI. Cfr. Io. Iacobus Mangetus, *op. cit.*, II, p. 665 ; J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, II, p. 319.
4. E. d'Hooghvorst, *op. cit.*, p. 20.
5. Philaletha, *op. cit.*, XXIII. Cfr. Io. Iacobus Mangetus, *op. cit.*, II, p. 673 ; J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, II, p. 357.
6. *Ibid.*, VIII. Cfr. Io. Iacobus Mangetus, *op. cit.*, II, p. 664 ; J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, II, p. 316.
7. L. Cattiaux, *Le Message retrouvé*, Bruxellis, 1991, v 89', p. 69.
8. Philaletha, *op. cit.*, XIX. Cfr. Io. Iacobus Mangetus, *op. cit.*, II, p. 671 ; J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, II, p. 351.
9. *Ibid.*, XXIV. Cfr. Io. Iacobus Mangetus, *op. cit.*, II, p. 673 ; J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, II, p. 358.
10. *Ibid.*, XXV. Cfr. Io. Iacobus Mangetus, *op. cit.*, II, p. 673 ; J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, II, p. 360.
11. Kalid, *op. cit.*, v. Cfr. *Theatrum chemicum*, v, p. 188.
12. Philaletha, *op. cit.*, XXII. Cfr. Io. Iacobus Mangetus, *op. cit.*, II, pp. 672-673 ; J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, II, p. 356.
13. H. a Barma, *Saturnia Regna*, Parisiis, 1780, *Avis au lecteur*, p. 1.
14. Daniel apud Servium, *In Vergilii Bucolicum librum commentarius*, IV, 10.
15. Cfr. Vergilius, *Bucolica*, VIII, 8 ; Servius, *op. cit.*, VIII, 6 ; IV, 10. J. Carcopino, *op. cit.*, p. 41, vituperat « omnia quæ ad Augusti imperium alludere a Servio creduntur atque inveniuntur, scilicet quæ in carmine comperiri non possunt novem annis ante pugnam Actiacam ». Non pro certo habemus Carcopino historiæ Romanæ peritiorem esse quam Servium et Danielem. Qui, potius quam ad victorem Actiacum, alludere videntur ad vicarium Apollinis dei vel filium Solis.
16. Isidorus, *op. cit.*, XI, 2, 10.
17. *Ibid.*, VIII, II, 54.
18. Vergilius, *op. cit.*, VIII, 45.
19. Philaletha, *op. cit.*, VI. Cfr. Io. Iacobus Mangetus, *op. cit.*, II, p. 663 ; J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, II, p. 313.
20. *Ibid.*, XXX. Cfr. Io. Iacobus Mangetus, *op. cit.*, II, p. 675 ; J. Mangin de Richebourg, *op. cit.*, II, p. 366.
21. R. Lullius, *op. cit.*, I, 68. Cfr. M. Pereira, B. Spaggiari, *op. cit.*, p. 232.
22. Statius, *op. cit.*, VIII, 173 ; cfr. 196.
23. Vergilius, *op. cit.*, V, 34-35.
24. Cfr. *ibid.*, V, 54 ; Daniel apud Servium, *op. cit.*, VIII, 68 ; Servius, *op. cit.*, II, 26.
25. Cfr. Vergilius, *op. cit.*, I, 45 et 63.
26. *Ibid.*, VII, 25.
27. *Ibid.*, VII, 27-28.
28. Servius, *op. cit.*, IV, 19.
29. Esaias, VIII, 18.
30. Hieronymus, *Commentarii in Esaiam*, III, 8, 18.
31. *Evangelium secundum Lucam*, I, 76.
32. Isidorus, *op. cit.*, XI, 2, 11. Cfr. *Hieremias*, I, 7.
33. Cfr. J. Carcopino, *op. cit.*, p. 202.
34. L.-M. Grignon de Montfort, *Œuvres complètes*, Parisiis, 1966, *Traité de la vraie dévotion*, 6 et 13, pp. 490 et 494.
35. *Apocalypsis*, XXI, 2.
36. *Ad Hebræos*, XII, 22.
37. *Ad Galatas*, IV, 26.
38. Bernardus, *Liber ad milites Templi, De Laude novæ militiæ*, v (II).
39. *Commune Sanctæ Virginis, Capitulum*.
40. *Festum Immaculatæ Conceptionis, Missa, Lectio libri Sapientiæ (Proverbia, VIII, 22-35)*.
41. L.-M. Grignon de Montfort, *op. cit.*, *Traité de la vraie dévotion*, 178, p. 606 (*Psalmi*, CXVIII, 56).
42. *Ibid.*, 158, p. 587 (*Psalmi*, XVII, 33).
43. *Esaias*, VII, 14.
44. Hieronymus, *op. cit.*, III, 7, 14.
45. *Ibid.*, III, 8, 1-4.
46. Cfr. *Evangelium secundum Iobannem*, XIX, 26-27.
47. Cfr. Origenes, *Commentarius in Evangelium Iobannis*, I, 23 : « Et oportet eum, qui alius Iohannes futurus est, fieri talem ut, quemadmodum Iohannes, a Iesu designetur quasi Iesus ipse ».
48. L. Cattiaux, *op. cit.*, II, 51, p. 31.
49. Id est Ἰῆς.
50. Id est Ἰῆς.
51. L. Cattiaux, *op. cit.*, X, 35, p. 107.
52. *Ibid.*, XXII, 61', p. 240.
53. Hieronymus, *op. cit.*, III, 8, 1-4.
54. In hymno *Ave, maris stella*.
55. In hymno *Alma Redemptoris*.
56. Constantinus, *Oratio*, XIX. Cfr. J. Carcopino, *op. cit.*, p. 202.
57. M. Ficinus, *op. cit.*, VI. Cfr. Io. Iacobus Mangetus, *op. cit.*, II, p. 173.

SCHOLA NOVA DECEM ANNIS ANTE CONDITA



Iam decem anni transacti sunt, ex quo Schola Nova in Brabantia est condita. Ibi discipuli ita educantur, ut veri humanistæ fiant. Non solum enim lingua Græca et Latina (necnon Hebraica) maxime colitur, sed discipuli etiam inducuntur ut Latine loquantur. Hac autem sollemni occasione die 14 m. Octobris a. 2005 in magna aula Bruxellensis Conservatorii Regalis Musicæ præbebitur splendidus concertus musicus, duce Stephano Feye musico eodemque Scholæ Novæ conditore et direttore. Symphoniaci, quibus nomen est « L'Heure d'Or », opera Iohannis Sebastiani Bach, Caroli Philippi Emmanuelis Bach et Volfgangi Amadei Mozart proponent una cum solistis egregiæ famæ, Maria Hallynck violoncellista et Adamo Korniszewski violinista. Nec deerunt verba Latina.


scholanova@belgacom.net

BIBLIOTHECA LATINA

G. IMMÈ, *Linguae Latinæ schola*, Vol. II, Marigliano, Italibri, 2005.

In Melissæ fasciculo 118 iam commendatum est primum volumen seriei, qua Genovefa Immè methodum linguæ Latinæ docendæ proponit vivam et totam Latine conscriptam. Hoc volumine, quod ad secundum collegii annum pertinet, scientia grammaticæ vocabulorumque simili ratione gradatim augetur. In paginis sinistris sunt textus ad vitam Romanam pertinentes, in dextris variæ exercitationes. Agitur de vita domestica, de itineribus, de exercitu, de calendario, de ceteris vitæ antiquæ aspectibus. Laudabilem in modum omnia ita sunt composita, ut discipuli et colloquia viva et commercium epistularum cum ceteris instituant. Exspectantur etiam tria alia volumina, quæ ad tres insequentes studiorum annos pertinebunt.

ISBN 88-87738-10-6
info@italibri.it



In hoc fasciculo !

De Academia Latinitati Fovendæ [G. Licoppe] p. 1
De Latinitate orientali [G. Licoppe] p. 3
De Marco Polo [V. Ciarrocchi] p. 6
« Fraternali affectu » [Th. Sacré] p. 8
Beatrix et eius amici (III) [F. Deraedt] p. 10
De quarto carmine bucolico Vergiliano (III) [H. van Kasteel] p. 12
Orbis Latinus – Bibliotheca Latina p. 16

LATINE LOQVI...

SYMPOSIUM SALLENTINVM

instiuet Melissa d. 24-31 m. Iulii a. 2005,
auspiciis Academix Latinitati Fovendæ



Proxima æstate Melissa symposium Latinum in Apulia instiuet. Hoc symposio, quod volumus esse iucundum sodalium concilium, participibus dabitur occasio de variis argumentis disputandi, quæ Latinistis cordi esse solent. Eis autem, quibus loquela Latina nondum est consueta, exercitationes Latine loquendi proponentur.

Sallentum autem, cum situm sit in infima orientaliq̃ extremitate Italiæ, auras et Orientis et Occidentis alternatim accipit. Quare thema generale acroasium et disputationum, quod proponimus, est « De rationibus inter Occidentem et Orientem, a decimo sæculo usque ad duodevicesimum sæculum ».

Pretium

- inscriptionis :
 - adultis : 50 eur.
 - discipulis et studentibus : 25 eur.
- pernoctationis :
 - cum ientaculo, prandio et cena : 45 eur
 - cum ientaculo et cena (sine prandio) : 40 eur

Conclavia sunt privatis commoditatibus instructa. Accessus facilis et autocineto et aeroplano et tramine ferriviario.

Qui participare cupiunt nos certiores faciant.

AMICITIA CATHOLICA PRO LATINITATE

In Germania prope Coloniam, d. 24-30 m. Iulii.
¶ dominique.viain@wanadoo.fr

CONVENTICVLVM LEXINTONIANVM

Lexintoniæ in America, a mensis Iulii die 29 usque ad 6 mensis Augusti. ¶ Prof. Terentius Tunberg :
clatot@pop.uky.edu

CONVENTICVLVM RVSTICVM

In Civitate Vasintonia d. 24 usque per diem 29 m. Iunii. ¶ http://www.wenval.cc/boreooccidentales/boreo_latin/conventiculum.asp

FERIÆ LATINÆ

In abbata Sancti Michaelis Ferigoletensis, 28 m. Iulii - 4 m. Augusti. ¶ marie-antoinette.avich@wanadoo.fr

SEMINARIVM HISPANICVM

Ab Academia Latinitati Fovendæ institutum, prope Segoviam, d. 25-28 m. Iulii. ¶ www.academialatina.org

SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

¶ Morsaci in Helvetia : 24-30 m. Iulii. ¶ in Belgica in abbata Maretolensi : 7-13 m. Augusti. ¶ Societas Latina : s.albert@mx.uni-saarland.de

SEPTIMANA AMCENEVRGENSIS

Latine loqui - Romane coquere. D. 24-30 m. Iulii.
¶ www.septimanalatina.org

